



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Lex VI. à Deo lata Gen. 4. v. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

corpus graves, sanitati noceas, mentis alacritatem hebetes, teque ad exequendum munus tuum inhabilem reddas: nam ex hac cibi, potusque intemperantia ac redundantia, oritur stupor, languor, tedium, somnolentia, scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, contentio, omnium virtutum destructio, humorum noxiorum coluvies, omnium morborum series, ipsa denique mors acceleratur. Plures occidit gula, quam gladius. Ne igitur ad plenam satietatem comedas sed cum quodam adhuc appetitu surgas, & cum S. Augustino, ad alimena, tanquam ad medicamenta accedas, de quibus non plus, quam necessitas, à prudente sumitur.

Lex VI. à Deo lata Gen. 4. v. 7.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non sequere appetitum tuum, ut illi, quorum Deus venter est, sed vince & mortifica appetitum edendi & bibendi, ut non dominetur tibi, sed tu illi prolibitu frenum injice. Cave quoque ne nimis delicata secteris, nec communibus acquiescas; sed potius amore Christi communia & viliora elige. Cave etiam (ut docet

docet S. Gregor.) ne voluptatis illecebra,
 qua in via edendi furtive adjuncta sepe
 subsequitur, & nonnunquam preire cona-
 tur, te a praefixo scopo divina gloria abdu-
 cat, aut ultra necessitatis metas abripiat:
 si enim S. Augustinus & alii viri sancti
 quotidie contra hanc concupiscentiam
 certarunt, quanto magis tibi adeo fragili
 & sensuali certandum erit?

Lex VII. Data est ab Ecclesiastico

o. 37. § 32.

NOli avidus esse in omni epulatione, &
 non te effundas super omnem escam.
 Inordinatum in quovis etiam vili edulio
 estum & aviditatem nimiam cohibe: nec
 ita animum effunde patinisque immerge, ut
 vel lecta super mensam non auscultes, vel
 mentem subinde ad Deum non eleves.
 Nec plura aut sumptuosiora fercula curas
 aut appete, quam status tuus requirat; ne
 elemosynas pauperibus debitas ventri tuo
 & carni inutiliter impendas, tibi que ipsi
 noceas: nam in multis escis non deerit in-
 firmitas: Propter crapulam multi per-
 ierunt.